



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Svmmma Totivs Theologiæ S. Thomæ Aqvinatis, Doctoris Angelici Ordinis Prædicatorum

Secvndæ Secvndæ Partis Volumen Secundum

Thomas <von Aquin, Heiliger>

Romæ, 1619

De pœna simoniaci. 6

urn:nbn:de:hbz:466:1-38762

*Utrum sit conueniens simoniaci pœna, ut priuetur
eo quod per simoniam acquisiuit?*

534

AD sextum sic proceditur. Videtur, quod non sit conueniens simoniaci pœna, ut priuetur eo quod per simoniam acquisiuit. Simonia enim committitur ex eo quod alicuius muneris interuentu spiritualia acquiruntur. Sed quædam sunt spiritualia, quæ semel adepta non possunt amitti: sicut omnes characteres qui per aliquam consecrationem imprimuntur. Ergo non est conueniens pœna, ut quis priuetur eo quod simoniacè acquisiuit.

4. dif. 25.
q. 3. a. 1.
q. 1. ad 1.

¶ 2 Præterea, Contingit quandoque quod ille qui est episcopatum per simoniam adeptus, præcipiat subdito, ut ab eo recipiat ordines: & videtur quod ei debeat obedire, quamdiu ab Ecclesia toleratur. Sed nullus debet aliquid recipere ab eo qui non habet potestatem conferendi. Ergo episcopus non amittit episcopalem potestatem, si eam simoniacè acquisiuit.

¶ 3 Præterea, Nullus debet puniri pro eo quod non est factum, eo sciente & volente: quia pœna debetur peccato, quod est voluntarium, ut ex supra dictis patet*. Contingit autem quandoque quod aliquis simoniacè consequitur aliquid spirituale, procurantibus alijs, eo nesciente & nolente. Ergo non debet puniri per priuationem eius quod ei collatum est.

1. 2. q. 74.
a. 1. & 2.
& q. 71.
a. 5. & 6.

¶ 4 Præterea, Nullus debet portare commodum de suo peccato. Sed si ille qui consecutus est beneficium ecclesiasticum per simoniam, restitueret quod percepit, quandoque hoc redundaret in utilitatem eorum qui fuerunt simoniæ participes: puta, quando prælatus, & totum collegium in simoniam consensit. Ergo non semper est restituendum, quod per simoniam acquiritur.

¶ 5 Præterea, Quandoque aliquis per simoniam in aliquo monasterio recipitur, & votum solemnè ibi facit profutendo. Sed nullus debet absolui ab obligatione
voti

voti propter culpam commissam. Ergo non debet monachus quod simoniacè acquisiuit, amittere.

¶ 6 Præterea, Exterior pœna in hoc mundo non infligitur pro interiori motu cordis, de quo solius Dei est iudicare. Sed simonia committitur ex sola intentione vel voluntate: vnde & per voluntatem diffinitur, vt dictum est *. Ergo non debet semper aliquis priuari eo quod simoniacè acquisiuit.

ar. 1. hu-
aus 7.

¶ 7 Præterea, Multo maius est promoueri ad maiora bona, quàm in susceptis permanere. Sed quandoque simoniaci ex dispensatione promouentur ad maiora. Ergo non semper debent susceptis priuari.

1. q. 1. c.
Si quis
Eps.

¶ SED contra est, quod dicitur * 1. q. 1. cap. si quis episcopus, Qui ordinatus est, nihil ex ordinatione vel promotione, quæ est per negotiationem facta, proficiat: sed sit alienus à dignitate vel sollicitudine, quam pecunijs acquisiuit.

Constitu-
tio Pij
incip Cũ
primum
Aposto-
latus.

RESPONDEO dicendum, quòd nullus potest licitè retinere id quod contra voluntatem domini acquisiuit: puta si aliquis dispensator de rebus domini sui daret alicui contra voluntatem & ordinationem domini sui, ille qui acciperet, licitè retinere non posset. Dominus autem, cuius ecclesiarum prælati sunt dispensatores & ministri, ordinauit vt spiritualia gratis darentur: secundum illud Matth. 10. Gratis accepistis, gratis date. Et idèd qui muneris interuentu spiritualia quæcumque assequitur, ea licitè retinere non potest. Insuper autem simoniaci tam vendentes quàm ementes spiritualia, aut etiam mediatores, alijs pœnis puniuntur: scilicet infamia & depositione, si sint clerici; & excommunicatione, si sint laici, vt habetur

1. q. 1. c.
Si qs epi
scopus, su-
mitur ex
conc. Cal-
cedonen.
c. 11 2.

* 1. q. 1. can. Si quis episcopus. Ad primum ergo dicendum, quòd ille qui simoniacè recipit sacrum ordinem, recipit quidem characterem ordinis propter efficaciam sacramenti: non tamen recipit gratiam, neque ordinis executionem: eo quòd quasi furtiuè suscepit characterem contra principalis domini voluntatem. Et idèd est ipso iure suspen-

sensus; & quo ad se, ut scilicet de executione sui ordinis se non intromittat; & quo ad alios, ut scilicet nullus ei communicet in ordinis executione, siue sit peccatum eius publicum, siue occultum. Nec potest repetere pecuniam quam turpiter dedit, licet alius iniuste detineat. Si verò sit simoniacus, quia contulit ordinem simoniacè, vel quia dedit, vel recepit beneficium simoniacè, vel fuit mediator simonia: si est publicum, est ipso iure suspensus, & quo ad se, & quo ad alios. Si autem est occultum, est suspensus ipso iure quo ad se tantum, non autem quo ad alios.

Ad secundum dicendum, quòd nec propter præceptum eius, nec etiam propter excommunicationem, debet aliquis recipere ordinationem ab Episcopo, quem scit simoniacè promotum. Et si ordinetur, non recipit ordinis executionem, etiam si ignoraret eum esse simoniacum: sed indiget dispensatione. Quamvis quidam dicant, quòd si non potest probare eum esse simoniacum, debet obedire recipiendo ordinem, sed non debet exequi sine dispensatione. Sed hoc absque ratione dicitur: quia nullus debet obedire alicui ad communicandum sibi in facto illicito. Ille autem qui est ipso iure suspensus, & quo ad se, & quo ad alios, illicitè confert ordinem. Vnde nullus debet sibi communicare, recipiendo ab eo quacumque ex causa. Si autem ei non constat, non debet peccatum credere alterius: & ita cum bona conscientia debet ab eo ordinem recipere. Si autem episcopus sit simoniacus alio quo alio modo, quam per promotionem suam simoniacè factam, potest ab eo ordinem recipere, si sit occultum: quia non est suspensus quo ad alios, sed solum quo ad seipsum, ut dictum est*.

Ad tertium dicendum, quòd hoc quòd aliquis priuatur eo quod accepit, non solum est pœna peccati, sed etiam quandoque est effectus acquisitionis iniuste: puta, cum aliquis emit rem aliquam ab eo qui vendere nō potest. Et idèd si aliquis scienter, & propria

*In solut.
ad præ.
arg.*

spontè simoniacè accipiat ordinem, vel ecclesiasticum beneficium, non solum priuatur eo quod accepit, vt scilicet careat executione ordinis, & beneficium resignet cum fructibus inde perceptis: sed etiã vltèrius punitur, quia notatur infamia. Et tenetur ad restituendos fructus non solum perceptos, sed etiã eos qui percipi potuerunt à possessore diligenti. Quod tamen intelligendū est de fructibus qui supersunt, deductis expensis factis causa fructuū, exceptis fructibus illis qui alias expensi sunt in vtilitatem Ecclesiæ. Si verò eo nec volente nec sciente, per alios alicuius promotio simoniacè procuratur, caret quidem ordinis executione, & tenetur resignare beneficium quod est consecutus cum fructibus extantibus: non autem tenetur restituere fructus consumptos, quia bona fide possedit: nisi forte inimicus eius fraudulenter pecuniam daret pro alicuius promotione, vel nisi ipse expressè contradixerit. Tunc enim non tenetur ad renunciandum, nisi fortè postmodum pacto consenserit, soluendo quod fuit promissum.

Ad quartum dicendum, quòd pecunia, vel possessio, vel fructus simoniacè accepti, debent restitui Ecclesiæ, in cuius iniuriam data fuerunt, non obstante quod prælatus, vel aliquis de collegio illius Ecclesiæ, fuit in culpa: quia eorum peccatum non debet alijs nocere: ita tamen quòd quantum fieri potest, ipsi qui peccauerunt, inde commodum non consequantur. Si verò prælatus & totum collegium sunt in culpa, tunc debet cum auctoritate superioris, vel pauperibus, vel alteri Ecclesiæ erogari.

Ad quintum dicendum, quòd si aliqui sunt in monasterio simoniacè recepti, debent abrenuciare. Et si eis scientibus commissa est simonia post Concilium generale, sine spe restitutionis de monasterio suo repelluntur: & ad agendam perpetuam penitentiam sunt in arctiori regula ponendi, vel in aliquo loco eiusdem ordinis, si arctior ordo non inueniretur. Si verò hoc fuit ante Concilium, debent in alijs locis eiusdem

eiusdem ordinis collocari. Et si hoc fieri non potest, dispensatiue debent in eisdem monasteriis recipi, ne in seculo euagentur: mutatis tamen prioribus locis, & inferioribus assignatis. Si verò ipsis ignorantibus siue ante Concilium, siue post, sint simoniacè recepti: postquam renuntiauerint, possunt de nouo recipi locis mutatis, vt dictum est*.

In hac solutione.

Ad sextum dicendum, quòd quo ad Deum sola voluntas facit simoniacum. Sed quo ad pœnam ecclesiasticam exteriorem non punitur vt simoniacus, vt abrenuntiare teneatur, sed debet de mala intentione pœnitere.

Ad septimum dicendum, quòd dispensare cum eo qui est beneficiatus simoniacè scienter, solus Papa potest. In alijs autem casibus potest etiam episcopus dispensare: ita tamen quòd prius abrenuntiet quod simoniacè acquisiuit, & tunc dispensationem consequatur: vel paruam, vt habeat laicam communionem: vel magnam, vt post pœnitentiam in alia Ecclesia in suo ordine remaneat: vel maiorem, vt remaneat in eadem, sed in minoribus ordinibus: vel maximam, vt in eadem Ecclesia etiam maiores ordines exequatur, non tamen prælationem accipiat.

QVÆST. C I.

De Pietate, in quatuor articulos diuisa.

D Binde post religionem considerandum est de pietate: cuius opposita vitia ex ipsius consideratione innotescunt.

- ¶ Circa pietatem ergo quæruntur quatuor.
- ¶ Primo, ad quos pietas se extendat.
- ¶ Secundo, quid per pietatem aliquibus exhibeatur.
- ¶ Tertio, virum pietas sit specialis virtus?
- ¶ Quarto, virum religionis obtentu sit pietatis officium prætermittendum?